OBSERVATIONES NONNULLAE NOVAE

DE

GALACTOBDELLIS

DOLORES AD PARTUM FIRMANTIBUS ET AUGENTIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLV.

PUBLICE DEFENDET

Henricus Guilelmus Kemperdick

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

L. LEO, Dr. Med. pract.
A. RAFFAUF, Med. et Chir. Dd.
GUILELMUS GELLERT, Med. Cand.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLV.

PRAECEPTORI

VENERANDO ILLUSTRISSIMO

PROFESSORI

SCANZONI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum primum artis medicae studio me dedi, in collegio praeceptorem audivi dicentem „hoc est artis medicae malum, ut alter alterum serviliter sequatur atque idem dicat; hac re factum est, ut ars medica in eodem fere loco sistat, quo iam ante saeculum erat neque progressus faciat.“ Neque iniuria haec dicta sunt, non solum de arte medica, sed etiam de qualibet alia disciplina. Nunquam enim scientia proficiet, in qua auctoritas nimis valet, auctoritas, ut C. Vogtius dicit, haec negatio omnis rationis. Hoc in loco haeret inter credere et scire, inter contendere et argumentari, inter disciplinam et scientiam.

Conditio, sine qua scientia progredi non potest, mihi esse videtur, ut quisque pro sua facultate tum libertate, tum veritate studia faciat.

Ubi libertas non floret, progressus etiam fieri nequeunt. Hoc et in natura et in civitatibus et in litteris intelligitur. Quamdiu auctoritates scientiam aliquam dominantur atque regunt, quamdiu animi timore ac terrore abstinentur, quominus libere et audacter investigationum suarum summum proponant, quamdiu ratio valet „iuvare in verba magistri:“ tamdiu progressus in litteris fieri non possunt. Galeni systema quum firmissimum et invictum haberetur, ars medica per tredecim fere saecula non culta est nec hominibus novum quid attulit; Paracelsus vero quum venerabilis aedificii fundamenta concutere, idque infirmum appellare conaretur, artis medicae nova aetas est exorta. Quamdiu in Astronomia sententia,

terram immotam stare et solem circa eam moveri, vera habebatur, tamdiu astronomia in prima aetate mansit; quum vero Galilei, suae ipsius vitae periculum negligens, exsisteret et contrarium rationis, quae hucusque valebat, argumentis firmaret, illa ars magnitudinem, quae nunc ei est, consequi coepit. Et naturae quoque conveniens est, sine libera atque ad suum arbitrium agenti indagatione, progressus in litteris fieri non posse; semper enim humana mens scientiam condit, ea vero quum saepissime erret, fit, ut in litteris quoque errores atque opiniones veritatis expertes se insinuentur. Quamobrem viri exsistant oportet, qui nulla ullius rei ratione habita, aliorum investigata, quae ab omnibus fere existimantur verae, lumine lustranti inquirant. Si vero viri id faciunt, desiderio ac studio veritatis investigandae inflammati, tamen semper, etiamsi verum ipsi non inveniant, hoc studium laude dignum videbitur, quia eo semper ad novas perscrutationes incitatió praebetur et nova aperitur via, quam alii facilius continuare possunt.

Alteram conditionem, sine qua in litteris progressus fieri non possunt, eam esse puto, ut cum veritate explorationes fiant, id est, ut, quicunque perscrutantur, vera dicant, et omissis omnibus disceptionibus, omni studio in veritatem investigandam incumbant. In omnibus his rebus saepissime peccatur. Nos autem non semper vera audire, imprimis, ut taceam de dissimulatoribus iactoribusque, qui partim pecuniae, partim gloriae causa omnium aures clamore obtundunt, hac in re quaerendum est, quod cum animi levitate atque opinione praeiudicata investigationes suscipi solent. Tum denique in eo peccatur, quod investigationes non semper cum ea cura ac diligentia, qua opus est, suscipiuntur. Scientiam igitur quandam colentes, si doctrina sola ac opinione niti nolumus, manifesto, quantum fieri potest, agamus necesse est et sic agenti imprimis cogitandum est, experimentum semper optimum esse documentum idque certissime disceptare quid verum sit, quid-

que falsum. Experimenta igitur in litteris anteferenda sunt omnibus rebus; in illis vero diligentiam maximam adhibeamus oportet. Experimenta cultro, virga mensoria, microscopio, horologio atque reagentiis suscipienda sunt. Experimenta facturo, quod in illis corporibus, quae continuo mutari solent, difficillimum est, diligenter distinguendum est, quid experimento quidque viribus in corpore semper actuosis sit tribuendum — Hoc praemisso exordio, cum viris illustribus certare aut magna novaque experimenta in mundum proferre fortasse videar. Minime vero. Hoc nolo nec possum. Parva tantum experimenta quaedam, quae feci, sicuti observavi, veritate servata edere conabor.

Tribus annis ante dilectissimus et doctissimus professor noster Dr. Scanzoni de experimentis certiores non fecit, quae de partu praematuro galactobdellis arte efficiendo susceperat, nec facile quisquam inveniatur, qui maiore cum liberalitate et comitate inventionem tam utilem aperuerit. Experimenta in instituto obstetricio Herbipolensi postea facta et Lipsiae a Dr. Germann suscepta, eventus ab hac ratione antea exspectatos non solum firmarunt, sed etiam superarunt. Professor Dr. Scanzoni mihi dissertationis argumentum roganti suasit, ut galactobdellarum vim in dolores ad partum iam praesentes diligenter observarem. Cum comitate iam saepissime probata occasionem, haec experimenta faciendi, mihi obtulit.

Rerum obiectarum quaedam notatu dignissima in corporis humani natura sympathiae sunt et consensus inter singula quaedam membra et organa. Ex Hippocratis temporibus iam notum est, cum Parotidis affectionibus, tum inflammatoriis, tum carcinomatosis, vel post eas, similes solere in testibus apparere. Cum pubertate ineunte, id est, apparentibus in semine spermatozois, ligamentorum vocalium ac vocis mutationem arctissime coniunctam esse neminem latet. Notatu vero dignissimus est arctus consensus, qui inter uterum et mammas videri licet. Praeterea quod ambo propagationi praeficiunt idemque spectant, hic consensus multis in rebus obiectis partim physiologicis partim pathologicis apparet. Huc pertinet genitalium progressus, qui eodem tempore, quo mammarum, fit; tum earum tumor et interdum dolores menstruationis tempore non sunt negligendi. Huc adde procedentes mammarum affectiones menstruatione intermissa; apparent scirrhus et carcinoma in mammis utero eodem tempore aegro; mammae collabuntur foetu mortuo. Menstruatio intermittitur, lactis secretionis tempore, quod saepissime quidem fieri solet. Contra videmus mammis concitatis, varias contractiones in utero provocari.

Ita Kilian, inter Germanos praeclarissimum artis obstetriciae lumen, qui haud dubie, sicuti etiam Wigand, maximam operam doloribus ad partum investigandis dedit, optimeque eos perscrutatus est, affert, infante mammis ad posito dolores post partum excitari, dicens: „Nonnullis feminis consensus tam arctus inter uterum mammasque est, ut octonis vel quaternis denis post partum diebus, quin immo saepe

serius, quotiescunge infans mammis applicatur, lochiis auctis et interdum cruentis dolores vehementes moveantur.“ Elias a Siebold, cuius stirpes de arte medica et imprimis de arte obstetricia summos meritos habet, memorat, infante mammis apposito metrorrhagias post partum, et lochiarum secretionem diutius morantem, optime praecaveri. Hac enim de re dicit: „Haemorrhagiae post partum nulla re nisi infante mammis mature apposito minuuntur; lactantes igitur ad metrorrhagias non tam propensae sunt, quam illae puerperae, quae infantes omnino non lactant, vel apud quas aliis quibusdam causis normalis lactis secretio- et excretio impeditur. Observatione constat expurgationem post partum apud has non solum diutius, sed etiam multo vehementius et rubrum effluere.“

Scanzoni venerandissimus noster professor dicit, feminas, denuo gravidas, quum infantem lactent, saepius abortum facere.

Busch, Berolinensis, de arte obstetricia etiam maxime meritus memorat, mammis concitatis metrorrhagias post partum statim amoveri posse, et cucurbitis siccis mammis applicatis nimiae menstruationis sanguinis effusioni finem fieri posse.

„Huius arcti inter uterum et mammas consensus,“ Scanzoni initio libelli de partu praematuro galactobdellis efficiendo dicit, „satis gnarus, iam diu mecum cogitaveram, num concitatis mammarum nervis partus excitari posset; talem incitationem uteri contractionibus movendis et praesentibus augendis parem esse, quotidiana experientia satis nos docet.“

Ultima haec verba formant argumentum huius libelli, eumque scribens mihi proposui, ut novum addam documentum, mammarum nervis galactobdellis incitatis, praesentes ad partum dolores augeri posse.

Quod attinet rationem, qua in his experimentis usus sum, initium dolorum manu ventri imposita cognovi atque observavi; in aliis casibus, in quibus eodem tempore, quo dolores ad partum incinerent, etiam doloris significatio ac

cedebat, me inquirens, dolorum tempus in vultu animadverti; semper vero ita egi, ut eadem uterer norma ante et post galactobdellas adpositas, neque modo dolores incipientes ab uteri erectionis initio, modo a dolorum significationis initio constituerem. Quum vesica rupta vehementiores dolores secuti sunt, observationes meas intermittere solitus sum, ratus, me nunc non distinguere posse, quid galactobdellis tribuendum sit. — Explorationis, quoque inquisitorum, dolores ad partum etiam augentis, rationem habui. — Novum illud verbum „galactobdella" (compositum e γαλα Milch et βδελλα Saugegel) formavi, quia latine me scribere oportuit, —

Dolorum ad partum tempus non semper e — Secundis constitui, quia non horologium, quod Secundas signicavit, mihi praesto erat.

Galactobdellae, quae ex duabus bullis lagenae similibus e Caoutchouk compositis constabant et quarum ori, collo respondenti, annulus e vitro impositus erat, elastica fasciola sex digitos lata ad pectus alligatae sunt. Postquam e galactobdellis compressione aër erat remotus, papillae mammillares in spatium aëre vacuum sugebantur. Fasciola alligata femina non est impedita, nec timens, ne galactobdellae deciderent, circumire potuit.

Casus primus.

M. K., viginti annos nata, primipara infirmae valetudinis, die VIII. Iunii instituto clinico hora octava matutina aderat, quum iam per duodeviginti horas parturiens esset. Indagatione abdominis, dum dolor ad partum erat, facta, uterus parum durus et contractus erat; exploratione per vaginam facta, os uteri vix magnitudinem floreni aequabat, velamenta foetus adhuc erant intacta, ad sinistram pelvis partem fonticulum tetigi, cordis pulsus foetales iuxta umbilicum ad sinistrum matris latus audivi.

Professor Scanzoni Diagnosin fecit: „Dolores ad partum atonici ex atonia uteri," et mihi mandavit experiri, num galactobdellae fortiores dolores excitarent.

Dolores ante applicatas galactobdellas ita sese secuti sunt:

Successio singulorum dolorum.	tempus unius doloris.	Intervallum lucidum.
IXhora 17 Minut. Secd. — 18M. S.	1M. S.	4M. 40S.
22 „ 40 „ — 23„ 30„	— „ 50 „	3 „ 15 „
26 „ 45 „ — 27„ 45„	1 „ — „	3 „ 25 „
31 „ 10 „ — 32„ 10„	1 „ — „	4 „ 15 „
36 „ 25 „ — 37„ 40„	1 „ 15 „	— „ — „

V. dolores duraverunt 5M. 5S.
IV intervalla „ 15M.35S.
Ergo tempus unius doloris 1 M. 1 S.
„ „ unius intervalli 3 M. 53 S.

Post applicatas galactobdellas:

Successio singulorum delorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum lucid.
IX. hora 50M. 55S.—51M. 45S.	—M.50S.	1M. 25S.
53„ 10 „—53 „ 45 „	—„ 35„	1„ 55„
55„ 40 „—56 „ 50 „	1„ 10„	3„ 15„
X. hora —„ 5 „— 1 „ 45 „	1„ 40„	1„ 40„
3„ 25 „— 4 „ 35 „	1„ 10„	2„ 30„
7 „ 5„— 8 „ 5 „	1„ —„	2„ 5„
10„ 10„—11 „ 25 „	1„ 15„	2„ 10„
13„ 35„—14„ 40 „	1„ 5„	2„ 25„
17 „ 5„—18„ 25 „	1„ 20„	

Dolores IX. duraverunt 10„ 5„
intervalla VIII „ 17„ 25„
Ergo tempus I. doloris 1M. 7S.
„ „ I. intervalli 2M. 10S.

Remotis galactobdellis hora X. Minut. XX., dolores ita sese secuti sunt:

Successio singulorum dolorum.						Tempus unius doloris.		Intervallum lucidum.	
X. hora	31M.	30S.—	32M.	10S.		—M.	40S.	2M.	30S.
	34„	40„ —	35„	35„		—„	55„	2„	25„
	38„	—„ —	38„	45„		—„	45„	1„	30„
	40„	10„ —	41„	—„		—„	50„	2„	50„
	43„	50„ —	44„	55„		1„	5„	2„	35„
	47„	30„ —	48„	25„		—„	55„	2„	10„
	50„	35„ —	51„	30„		—„	55„	3„	—
	54„	35„ —	55„	35„		1„	—„	3„	5„
	58„	40„ —	59„	40„		1„	—„	3„	—„
XI. hora	2„	40„ —	3„	35„		—„	55„		

dolores X. duraverunt 9„ —„
intervalla IX. „ 23„ 5„
Ergo tempus unius doloris 54S.
„ „ „ intervalli 2M. 35S.

Removeram galactobdellas, quia femina valde me petiit, ut removerem eas; questa est enim post earum applicationem de vehementibus doloribus, ut dixit, „matris,“ idest uteri. —

Hora XI. exploratione interna facta, os uteri Thaleri erat magnitudinis; eadem hora galactobdellas quoque iterum applicavi, et adhaeruerunt usque ad horam XII non observatis doloribus. Remotis tum galactobdellis et exploratione interna facta, labium posterius oris uteri vix tetigi. Hora post meridiem prima iterum apparatum applicavi et brevi postea rupta est vesica; dolores tum fortiores celerius sese exceperunt et hora III et dimidia peperit femina infantem vivum ponderis quinque et semis librarum.

Post duas horas orta est metrorrhagia, et noctu iterum secunda, quae utraque frigida aqua iniecta sistit.

Comparemus numeros supra citatos:

ante applicatas galactobdellas	tempus	unius	doloris	1M.	1S.
„	„	„	„	intervalli	3„	53„
post „	„	„	„	doloris	1„	7„
„	„	„	„	intervalli	2„	10„
remotis galactobdellis	tempus	unius	doloris			54S.
	„	„	intervalli		2M.	35„

Quod attinet ad effectum galactobdellarum, hoc in casu etiamsi non longius duraverunt dolores, tamen tempus intervalli lucidi brevius fuisse mihi videtur.

Nemo certe accusabit galactobdellas, illas effecisse metrorrhagias; sine dubio causa metrorrhagiae et causa partus prolati una eademque erat. Magnopere doleo me non adfuisse metrorrhagiis exortis, ut ad illas sedandas applicarem galactobdellas. Post quindecim dies et femina et infans validae ex Instituto obstetricio abierunt.

Casus II.

Chr. V., viginti quatuor annorum, primipara, valetudinis satis firmae. Quatuor hebdomades ante festum Martini ultimam habuit menstruationem. Die XIII mensis Iunii hora octava matutina ex professione parturientis primi evigilaverant dolores. Hora nona explorationem internam quum feci, os uteri, quod erat molle ac tenue, digito bene penetrare potui. Vagina quoque mollis erat atque lata.

Observati dolores ita se exceperunt:

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum.
IX. hora	34 —35 M.	1 M.	$1\frac{1}{2}$ M.
	$36\frac{1}{2}$—37 "	$\frac{1}{2}$ "	$2\frac{1}{2}$ "
	$39\frac{1}{2}$—$40\frac{1}{2}$ "	1 "	$3\frac{1}{2}$ "
	44 —45 "	1 "	$3\frac{1}{4}$ "
	$48\frac{1}{4}$—$48\frac{3}{4}$ "	$\frac{1}{2}$ "	$5\frac{1}{4}$ "
	54 —55 "	1 "	$1\frac{1}{2}$ "
	$56\frac{1}{2}$—57 "	$\frac{1}{2}$ "	2 "
	59 —60 "	1	
VIII dolores duraverunt		$6\frac{1}{2}$ "	
VII intervalla "			$19\frac{1}{2}$ "

Ergo tempus unius doloris circiter $\frac{3}{4}$ M.

" " " intervalli " $2\frac{4}{5}$ M.

Post applicatas galactobdellas dolores ita secuti sunt:

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum.
X. hora	7 — 8 M.	1 M.	1 M.
	9 —$10\frac{1}{4}$ "	$1\frac{1}{4}$ "	$1\frac{3}{4}$ "
	12 —$13\frac{1}{4}$ "	$1\frac{1}{4}$ "	$2\frac{1}{4}$ "
	$15\frac{1}{2}$—$16\frac{3}{4}$ "	$1\frac{1}{4}$ "	$1\frac{1}{2}$ "
	$18\frac{1}{4}$—20 "	$1\frac{3}{4}$ "	3 "
	23 —25 "	2 "	$2\frac{3}{4}$ "
	$27\frac{3}{4}$—$29\frac{1}{4}$ "	$1\frac{1}{2}$ "	$1\frac{3}{4}$ "
	31 —$33\frac{1}{4}$ "	$2\frac{1}{4}$ "	$\frac{3}{4}$ "
	34 —$35\frac{1}{2}$ "	$1\frac{1}{2}$ "	$2\frac{3}{4}$ "
	$38\frac{3}{4}$—41 "	$2\frac{3}{4}$ "	$1\frac{1}{4}$ "
	$42\frac{1}{4}$—$45\frac{1}{2}$ "	$3\frac{1}{4}$ "	$1\frac{1}{4}$ "
	$46\frac{3}{4}$—$49\frac{3}{4}$ "	3 "	$1\frac{1}{4}$ "
	51 —53 "	2 "	1 "
	54 —$55\frac{1}{2}$ "	$1\frac{1}{2}$ "	$2\frac{1}{2}$ "
	58 —$59\frac{3}{4}$ "	$1\frac{3}{4}$ "	
XV dolores duraverunt		28 "	
XIV intervalla "			$24\frac{3}{4}$ "

Ergo tempus unius doloris $1\frac{4}{5}$ M.

" " " intervalli $1\frac{3}{4}$ M.

Post hos quindecim dolores os uteri magnitudinis erat Thaleri; dolores vesicam valde tensam per os uteri deprimebant. Facile suspicari potes, feminam de vehementibus questam esse doloribus et accusavisse galactobdellas.

Ab hora XI dolores adhaerentibus galactobdellis ita secuti sunt:

	Successio dolorum singulorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum.
XI. hora	$1 - 2\frac{3}{4}$ M.	$1\frac{3}{4}$ M.	$1\frac{1}{2}$ M.
	$4\frac{1}{4} - 6\frac{1}{2}$ „	$2\frac{1}{4}$ „	1 „
	$7\frac{1}{2} - 10\frac{3}{4}$ „	$3\frac{1}{4}$ „	$1\frac{1}{4}$ „
vesica rupta est.			
	12 —13 „	1 „	1 „
	$14 - 16\frac{1}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „	$2\frac{3}{4}$ „
	19 —22 „	3 „	2 „
	$24 - 26\frac{1}{2}$ „	$2\frac{1}{2}$ „	$2\frac{1}{2}$ „
	29 —31 „	2 „	2 „
	$33 - 35\frac{1}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „	$1\frac{3}{4}$ „
	37 —39 „	2 „	1 „
	$40 - 42\frac{1}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „	2 „
Caput infantis se ostendit.			
	$44\frac{1}{4} - 47\frac{1}{4}$ „	3 „	$2\frac{1}{4}$ „
	$49\frac{1}{2} - 52\frac{3}{4}$ „	$3\frac{1}{4}$ „	$1\frac{1}{4}$ „
	$54 - 56\frac{3}{4}$ „	$2\frac{3}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „
	$59 - 1\frac{1}{2}$ „	$2\frac{1}{2}$ „	1 „
XII. hora	$2\frac{1}{2} - 4\frac{1}{2}$ „	2 „	$1\frac{3}{4}$ „
	$6\frac{1}{4} - 9\frac{1}{2}$ „	$3\frac{1}{4}$ „	$\frac{1}{2}$ „
	10 —13 „	3 „	
Infans in lucem prodiit ponderis fere quinque librarum.			
XVIII dolores duraverunt		$44\frac{1}{4}$ „	
XVII intervalla			$27\frac{1}{4}$ „

Ergo tempus unius doloris $2\frac{4}{9}$ M.

„ „ „ intervalli $1\frac{3}{5}$ M.

Conferamus tempus dolorum et intervallorum ante et post applicatas galactobdellas:

ante applicatas galactobdellas

	tempus	unius	doloris	erat	circiter	$^3/_4$ M.
	"	"	intervalli	"	"	$2^4/_5$ "
post applicatas galact.	"	"	doloris	"	"	$1^4/_5$ "
	"	"	intervalli	"	"	$1^3/_4$ "

abhinc usque ad finem partus adhaerente apparatu

tempus	unius	doloris		$2^4/_9$ M.
"	"	intervalli		$1^3/_5$ "

Hoc in casu si processus naturalis partus, quae decet, rationem si habuimus, quid tum galactobdellis tribuendum sit, ipse existimes.

Casus III.

E. M., triginta duo annos nata, gracilis et firmae valetudinis, priusquam gravida facta est, et per graviditatis tempus semper fuit sana. Ante quinque annos iam facile infantem nivum pepererat. Die Calend. Septembris anno superiore ultimos habuerat menses. Die XX. mensis Iunii h. an. hora sexta vespertina primi orti sunt dolores ad partum; hora septima et dimidia ad parturientem quum veni, edixit se duodecim circiter habuisse dolores, qui primum longiore intervallo nunc intra decimam et sextam horae partem se sequerentur. Exploratione per vaginam facta, os uteri fissuris erat clivosum, ceterum parum durum et digitus intrare potuit.

Dolores ita sese exceperunt:

Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli inter duos dolores.
VII. hora 43M. — S. — 45M. 30S.	— M. 30S.	5M. 55S.
49 „ 25 „ — 50 „ — „	— „ 25 „	3 „ — „
53 „ — „ — 53 „ 20 „	— „ 20 „	2 „ 45 „
56 „ 5 „ — 56 „ 40 „	— „ 35 „	3 „ — „
VIII. hora — „ 5 „ — — „ 35 „	— „ 30 „	3 „ 25 „
3 „ 20 „ — 4 „ — „	— „ 40 „	2 „ 45 „
7 „ — „ — 7 „ 30 „	— „ 30 „	3 „ — „
10 „ 30 „ — 11 „ 5 „	— „ 25 „	3 „ 5 „
14 „ 10 „ — 14 „ 50 „	— „ 40 „	
IX dolores duraverunt	4 „ 45 „	
VIII intervalla „		29 „ 55 „

Ergo tempus unius doloris 32 Secund.

„ „ unius intervalli 3 Minut. 37 Secund.

Post applicatas galactobdellas dolores ita secuti sunt.

Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
VIII. hora 17M. — S. — 17M. 45S.	— M. 45S.	2M. 5S.
19 „ 50 „ — 20 „ 30 „	— „ 40 „	— „ 40 „
21 „ 10 „ — 22 „ 10 „	1 „ — „	1 „ 45 „
23 „ 55 „ — 24 „ 45 „	— „ 50 „	1 „ 25 „
26 „ 10 „ — 27 „ 10 „	1 „ — „	1 „ 50 „
29 „ — „ — 30 „ — „	1 „ — „	1 „ — „
31 „ — „ — 31 „ 45 „	— „ 45 „	1 „ 20 „
33 „ 5 „ — 33 „ 50 „	— „ 45 „	2 „ 40 „
36 „ 30 „ — 37 „ 30 „	1 „ — „	1 „ — „
38 „ 30 „ — 39 „ 30 „	1 „ — „	1 „ 35 „
41 „ 5 „ — 42 „ 45 „	1 „ 40 „	1 „ 15 „
44 „ — „ — 44 „ 45 „	— „ 45 „	— „ 25 „
45 „ 10 „ — 46 „ — „	— „ 50 „	2 „ 45 „
48 „ 45 „ — 50 „ 5 „	1 „ 20 „	— „ 35 „
53 „ 5 „ — 54 „ — „	— „ 55 „	1 „ 55 „
56 „ 5 „ — 57 „ 5 „	1 „ — „	1 „ — „
58 „ 5 „ — 59 „ 10 „	1 „ 5 „	1 „ 20 „

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
IX. hora	—„ 30„ — 1 „ 30 „	1 „ —„	1 „ 30„
	3„ —„ — 4„ —„	1 „ —„	1 „ 30„
	5„ 35„ — 6 „ 35 „	1 „ —„	

dolores XXI duraverunt 20 „ 20„
intervalla XX „ 29 „ 5„
Ergo tempus unius doloris 58 Sec.
„ „ „ intervalli 1 Min. 27 Sec.

Nimis longum esset dolores XXII, qui ab hora IX usque ad horam X et dimidiam secuti sunt, enumerare.

Tempus medium XXII dolorum fuit 20M. 25S.
„ „ XXI intervallorum 41 „ 30„
Ergo tempus unius doloris = 56 Secund.
„ „ „ intervalli = 1 Minut. 58 Secund.

Exploratione tum, hora decima et dimidia, facta, os uteri magnitudinem habebat Thaleri. Hora duodecima noctis vesica rupta est, et horam unam et dimidiam post femina infantem vivum peperit. Et infans et mater octo dies post ex institnto clinico obstetricio validae abierunt.

Ut iudicare possis, num quid effectum gelactobdellis sit, iterum repetam numeros supra citatos.

Ante applicatos galactobdellas
tempus unius doloris 32 Secund.
„ „ intervalli 3Min. 37 „
post „ „ „ doloris 58 „
„ „ „ intervalli 1 M. 27 „

Postquam adhaeruerunt per duas fere horas:
tempus unius doloris = 56 Sec.
„ „ intervalli = 1 Min. 58 „

Casus IV.

J. B., viginti septem annorum, primipara, prima iuventute multum oculis laboraverat, ex quo oculorum nystachmus et cataracta oculi sinistri remansit. Ab anno septimo decimo menses quanquam semper parci tamen regulares fluxerant. Die XVII. mens. Septembris, superiore anno, ultima aderat menstruatio; per graviditatis tempus valida fuerat, valetudinis autem erat infirmioris.

Die XX. mensis Iunii post meridiem initium erat dolorum ad partum, qui, ex parturientis professione, primum post horam dimidiam, tum post quartam et, quum aderam, post sextam horae partem sese secuti essent. Explorationem, quum feci internam, os uteri tantum erat apertum, ut vix digito penetrare potuerim; labia oris adhuc iam crassa et dura erant.

Observati ante applicatas galactobdellas dolores.

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
VI. hora	58 — $58\frac{1}{2}$M.	$\frac{1}{2}$M.	$4\frac{1}{4}$M,
VII. hora	$2\frac{3}{4}$ — $3\frac{1}{4}$ „	$\frac{1}{2}$ „	$4\frac{1}{4}$ „
	$7\frac{1}{2}$ — $8\frac{1}{4}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$8\frac{3}{4}$ „
	17 — $17\frac{1}{2}$ „	$\frac{1}{2}$ „	
IV dolores duraverunt		$2\frac{1}{4}$ „	
III intervalla			$17\frac{1}{4}$ „

Ergo tempus unius doloris bene $\frac{1}{2}$ M.
„ „ „ intervalli „ $5\frac{3}{4}$ „

Post ultimum illum dolorem (hora VII. $17\frac{1}{2}$ Min.) exspectavi novum usque ad horam octavam vespertinam; sed frustra; nullus venit. Femina iam abire voluit in cubiculum, quia se hodie non parturam esse putabat. Hora tum octava galactobdellas applicavi. Post horam dimidiam primus iterum dolor evigilavit et sequentes hac successione intrarunt:

	Successio dolorum singulorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
VIII. hora	30 —32 M.	2 M.	10 M.
	42 —44 „	2 „	6 „
	50 —52 „	2 „	7 „
	59 — 1½ „	2½ „	7 „
IX. hora	8½—10¾ „	2¼ „	11½ „
	22¼—27 „	4¾ „	3¼ „
	30¼—33 „	2¾ „	9½ „
	42½—47¾ „	5¼ „	10 „
	57¾— 5½ „	7¼ „	2½ „
X. hora	8 —15½ „	7½ „	3¼ „
	18¾—22½ „	3¾	

XI dolores duraverunt 42

X intervalla „ 70 „

Ergo tempus unius doloris = bene 3¾ Minutr

„ „ „ intervalli = 7 Minut.

Dolores sequentes:

X hora	26¼—29¾ M.	3½ M.	3¼ M.
	33 —37¼ „	4¼ „	3¼ „
	40½—43¼ „	2¾ „	2¾ „
	46 —49¼ „	3¼ „	1¾ „
	51 —52½ „	1½ „	3½ „
	56 —58 „	2 „	4 „
XI. hora	2 — 4 „	2 „	3 „
	7 —11 „	4 „	5 „
	16 —18 „	2 „	3½ „
	21½—24½ „	3 „	6½ „
	31 —33 „	2 „	2 „
	35 —37 „	2 „	

XII dolores duraverunt 33¼ „

XI intervalla „ 38½

Ergo tempus unius doloris = 2⅔ Min.

„ „ „ intervalli = 3½ „

Femina tum de vehementibus doloribus in dorso questa est, qua de causa apparatum removi; os uteri fere magnitudinis floreni erat. — Dolores eodem fere modo, duodecima circiter horae parte interposita, usque ad horam decimam matutinam se insecuti sunt, quo tempore orificium uteri vix magnitudinem Thaleri habuit. Femina tum somno opprimebatur, ex quo hora post meridiem secunda evigilavit. Doloribus tum vehementioribus exortis, velamenta rupta sunt; hora autem quarta, quum dolores iterum essent per debiles, experimenti causa tres doses Secalis cornuti e granis X dedi; nullos autem quum Secale ostendit effectus, hora quinta forceps applicata est, et puella viva extrahebatur. Femina in morbum postea incidit, et in nosocomium translata est. Infans adhuc iam pustulis aegrota in Instituto obstetricio iacet.— Hoc in casu conclusionem illam „post hoc, ergo propter hoc," qua plurimi certo fiunt errores, facere fere licere existimo. Quum enim dolores ante applicatas galactobdellas $^1/_2$ Minut. duraverunt, intervallo interposito lucido $5^3/_4$ Minut., quum dolores iam per horam dimidiam obdormierant: tum, applicatis galactobdellis, dolores singuli duraverunt $3^3/_4$ Minut. intervallo interposito 7 Minut.; qui porro secuti sunt duodecim dolores, duraverunt $2^2/_3$ Minut. intervallo interposito $3^1/_2$ Minut.

Casus V.

K. U., femina viginti quinque annorum, primipara, vicesimo primo aetatis anno maturuit, et, exinde post quatuor hebdomadas menses semper regulares apparuerunt. Die X. mensis Septembris anni praeterlapsi ultima aderat menstruatio et die XI. mens. Februar. huius anni gravida primos foetus motus sensit. Per graviditatis tempus semper valida fuit. Die XXIX. mens. Iunii media nocte dolores praesagientes orti sunt; primi

dolores interposita hora dimidia, mane hora X. dolores post quadrantem, et meridiem circiter post duodecimam horae partem reverternnt. Explorationem internam quum feci, os uteri usque ad floreni dimidii magnitudinem patebat, vix suturam, quae a latere dextro ad sinistrum porrigebatur, tetigi. Calor vaginae valde erat auctus; urethra ita erat dilatata, ut digito usque ad pollicis longitudinem intrare potuerim. Abdomen valde erat expansum, circa umbilicum, ictus cordis foetalis distinctos audivi.

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum.
II. hora	28 —28¾ M.	¾ M.	4¼ M.
	33 —33¾ "	¾ "	1¼ "
	35 —36 "	1 "	6 "
	42 —43¼ "	1¼ "	¾ "
	44 —45 "	1 "	4 "
	49 —50 "	1 "	1 "
	51 —54 "	3 "	3½ "
	57½ - 58¾ "	1¼ "	¾ "
	59½ — 1 "	1½ "	1¾ "
III. hora	2¾ — 3¾ "	1	
dolores X duraverunt		12½ "	
intervalla IX "			23¼ "

Ergo tempus unius doloris circiter 1¼ M.
" " " intervalli " 2 7/12 M.

Applicatis galactobdeliis dolores ita se exceperunt:

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	Intervallum.
III. hora	7 — 9½ M.	2½ M.	1½ M.
	11 —13 "	2 "	2 "
	15 —16½ "	1½ "	½ "
	17 —19 "	2 "	2 "
	21 —23 "	2 "	2½ "
	25½—27¼ "	1¾ "	2¾ "
	30 —32¾ "	2¾ "	2¼ "

Successio dolorum singulorum.		Tempus unius doloris.	Intervallum,
	35 —38 „	3 „	2 „
	40 —42 „	2 „	4 „
	46 —47 3/4 „	1 3/4 „	
dolores X duraverunt		21 1/4 „	
intervalla IX „			19 1/2 „

Ergo tempus unius doloris 1 1/8 M.

„ „ „ intervalli 2 1/6 M.

III. hora	48 —48 3/4 M.	3/4 M.	1 3/4 M.
	50 1/2 — 52 „	1 1/2 „	2 1/2 „
	54 1/2 — 55 1/4 „	3/4 „	1 „
	56 1/4 — 57 1/4 „	1 „	2 „
	59 1/4 — 60 1/4 „	1 „	1 „
IV. hora	1 1/4 — 2 1/2 „	1 1/4 „	1 3/4 „
	4 1/4 — 5 1/2 „	1 1/4 „	3/4 „
	6 1/4 — 7 1/4 „	1 „	1/4 „
	7 1/2 — 8 1/2 „	1 „	1 1/2 „
	10 —11 1/4 „	1 1/4 „	1 3/4 „
	13 —15 „	2 „	
dolores XI duraverunt		12 3/4 „	
intervalla X			14 1/4 „

Ergo tempus unius doloris 1 1/6 M.

„ „ „ intervalli 1 1/2 M.

Conferamus tempus dolorum et intervallorum ante et post applicates galactobdellas:

ante applicatas galactobdellas

	tempus unius doloris	1 1/4 Minut.
	„ „ intervalli	2 7/12 „
post applicatas galact.	„ „ doloris	1 1/8 „
	„ „ intervalli	2 1/6 „

Postquam horam circiter adhaeruerunt:

tempus unius doloris	1 1/6 „
„ „ intervalli	1 1/2 „

Videmus hoc in casu initio tantum tempus dolorum auctum fuisse, postea autem decrevisse. Tempus autem intervallorum, dum adhaeserunt galactobdellae, magis magisque minuebatur.

Hora post meridiem quarta vesica rupta et quinta partus evenit. — Qui fuerit effectus in partum universus, ipse aestimes, quum applicatis galactobdellis post duas horas femina peperit.

Casus VI.

B. R., viginti tres annos nata, primipara, valetudinis firmae et corporis perpasti, sub finem mensis Septembris superiore anno ultimos habuerat menses. Dolores ad partum hora vespertina octava inceperant. Quum veni ad parturientem hora undecima et demidia nocturna, die XXX. mens. Iunii, os uteri floreni fere magnitudinem aequabat.

Observati dolores ante applicatas galactobdellas:

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
XI. hora	53 — 53¾ M.	¾ M.	4¼ M.
	58 — 60 „	2 „	4 „
XII. hora	4 — 4¾ „	¾ „	4 „
	8¾ — 9¾ „	1 „	6½ „
	16¼ — 17 „	¾ „	6 „
	23 — 23½ „	½ „	3½ „
	27 — 27½ „	½ „	
dolores VII duraverunt		6¼ „	
intervalla VI			28¼ „

Ergo tempus unius doloris ⁶⁄₇ M.

„ „ „ intervalli „ 4⅔ „

Applicatis galactobdellis dolores ita secuti sunt.

	Successio dolorum singulorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
XII. hora	45 —46 M.	1 M.	4 M.
	50 —51 „	1 „	$3\frac{1}{2}$ „
	$54\frac{1}{2}$—$55\frac{1}{4}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$\frac{1}{4}$ „
	$55\frac{1}{2}$—$56\frac{1}{4}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$1\frac{1}{4}$ „
	$57\frac{1}{2}$—$58\frac{1}{2}$ „	1 „	$2\frac{1}{2}$ „
I. hora	1 — $2\frac{3}{4}$ „	$1\frac{3}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „
	5 — $5\frac{3}{4}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$5\frac{1}{4}$ „
	11 —$12\frac{3}{4}$ „	$1\frac{3}{4}$ „	$3\frac{1}{4}$ „
	16 —$17\frac{1}{2}$ „	$1\frac{1}{2}$ „	$\frac{3}{4}$ „
	$18\frac{1}{4}$—19 „	$\frac{3}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „

X dolores duraverunt 11

X intervalla „ $25\frac{1}{4}$ „

Ergo tempus unius doloris = $1\frac{1}{10}$ Minut.

„ „ „ intervalli = $2\frac{1}{2}$ Minut.

I. hora	$21\frac{1}{4}$—22 M.	$\frac{3}{4}$ M.	$1\frac{3}{4}$ M.
	$23\frac{3}{4}$—$24\frac{1}{2}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$3\frac{1}{2}$ „
	28 —$28\frac{3}{4}$ „	$\frac{3}{4}$ „	$4\frac{1}{4}$ „
	33 —34 „	1 „	3 „
	37 —38 „	1 „	$2\frac{3}{4}$ „
	$40\frac{3}{4}$—$42\frac{1}{4}$ „	$1\frac{1}{2}$ „	6 „
	$48\frac{1}{4}$—$49\frac{3}{4}$ „	$1\frac{1}{2}$ „	$1\frac{1}{2}$ „
	$51\frac{1}{4}$—52 „	$\frac{3}{4}$ „	$2\frac{1}{4}$ „
	$54\frac{1}{4}$—$55\frac{1}{4}$ „	1 „	

IX dolores duraverunt 9 „

VIII intervalla „ 25 „

Ergo tempus unius doloris = 1 Min.

„ „ „ intervalli = $3\frac{1}{8}$ „

Os uteri hora secunda nocturna die I. mensis Iulii erat magnitudinis duorum Thalerorum. Nimis longum esset, obser- vatos per noctem dolores enumerare. Hora tertia removi ga-

lactobdellas, hora quarta et dimidia vesica rupta est, ex quo tempore vehementiores orti sunt dolores, qui post horam autem decreverunt.

Ab hora octava galactobdellis non adhaerentibus, dolores ita secuti sunt:

	Successio singulorum dolorum.	Tempus unius doloris.	T. intervalli.
VIII. hora	25 —26 "	1 "	$1^3/_4$ "
	$27^3/4$—29 "	$1^1/_4$ "	$2^3/_4$ "
	$31^3/_4$—33 "	$1^1/_4$ "	2 "
	35 —$36^1/_2$ "	$1^1/_2$ "	$1^1/_2$ "
	38 —$39^1/_2$ "	$1^1/_2$ "	$2^1/_2$ "
	42 —$43^1/_4$ "	$1^1/_4$ "	$3^3/_4$ "
	46 —$47^1/_2$ "	$1^1/_2$ "	
dolores VII duraverunt		$9^1/_4$ "	
intervalla VI "			$13^1/_4$ "

Ergo tempus unius doloris $1^1/_3$ Minut.
" " " intervalli $2^1/_4$ "

Applicavi galactobdellas.

IX. hora	1 —$1^3/_4$ "	$^3/_4$ "	$^1/_4$ "
	2 — $4^1/_4$ "	$2^1/_4$ "	$^3/_4$ "
	5 —$10^1/_2$ "	$5^1/_2$ "	$3^1/_2$
	14 —$17^3/_4$ "	$3^3/_4$	$3^1/_4$ "
	21 —$24^1/_2$ "	$3^1/_2$	$1^1/_2$ "
	26 —$29^1/_4$ "	$3^1/_4$ "	$1^3/_4$ "
	31 —$34^1/_4$ "	$3^1/_4$ "	$^3/_4$ "
	35 —$37^3/_4$ "	$2^3/_4$ "	$1^1/_4$ "
	39 —44 "	5 "	2 "
	46 —$49^1/_4$ "	$3^1/_4$ "	$^3/_4$ "
	50 —$53^1/_4$ "	$3^1/_4$ "	$2^3/_4$ "
	56 — $^1/_2$ "	$4^1/_2$ "	
XXII dolores duraverunt		41 "	
XI intervalla "			$18^1/_2$

Ergo tempus unius doloris = fere $3^{1}/_{2}$ Minut.
" " " " = $1^{5}/_{7}$ Minut.

Hora decima matutina os uteri iuxta caput infantis iam erat praeterlapsum, hora undecima, adhaerentibus iam galactobdellis, femina peperit infantem vivum.

Conferamus tempus unius doloris et intervalli ante et post applicatas galactobdellas.

Supra.

Ante applicatas galactobdellas		
	tempus unius doloris	$^{6}/_{7}$ Minut.
	" " intervalli	$4^{2}/_{3}$ "
Post " " " "	doloris	$1^{1}/_{10}$ "
	" " intervalli	$2^{1}/_{2}$ "
Postquam adhaeruerunt per horam:		
	" " doloris	1 Minut.
	" " intervalli	$3^{1}/_{8}$ "

Infra.

Ante applicatas galactobdellas		
	tempus unius doloris	= $1^{1}/_{3}$ Minut.
	" " intervalli	= $2^{1}/_{4}$ "
post	" " doloris	= $3^{1}/_{2}$ "
	" " intervalli	= $1^{5}/_{7}$ "

Quarum observationum summum si colligimus, satis intelligi posse puto, galactobdellis mammis ad positis dolores ad partum incipientes augeri et dolores minores firmari, uteri igitur fibras musculares ad contractionem vehementiorem concitari posse.

Hoc loco ad sustentandam meam de galactobdellarum effectibus inquisitionem iam afferre possum, doctissimum Dr. Langheinrich, qui assistens est professori Scanzoni, etiam fecisse experimenta cum galactobdellis, qui affirmat se in nonnullis casibus, ubi dolores ad partum atonici aderant, applicatis galactobdellis eximios vidisse effectus Ut afferam casum, quem eius benignitas mihi communicavit:

M. A., primipara, viginti quatuor annos nata, valetudinis infirma, quum iam die XXII. mensis Aprilis hora post meridiem quarta, velamenta foetus rupta essent, primos ad partum dolores sensit die XXIV. hora vespertina nona. Dolores quum essent perdebiles, die XXV. applicavit galactobdellas per binas horas, libera intermissione interposita duarum horarum. Dolores fortiores his applicatis evigilarunt, et femina peperit eodem die hora duodecima nocturna.

Quum igitur constet, galactobdellis dolores ad partum excitari vehementiores, sequitur quoque, ut haec experientia re ipsa perspecta aestimetur et puto, eam inventionem humani generis saluti utilem habendam, eique inter remedia dolores ad partum augentia locum esse concedendum.

Quanti aestimanda sit illa experientia, ut cognoscamus, operae pretium mihi esse videtur, ut hanc methodum cum aliis quibusdam remediis ac methodis dolores ad partum au-

gentibus comparemus, ut videamus, quae commoda haec ratio praebeat, quaeque alia remedia praebendo imparia sunt.

„Magna est medicamentorum dolores augentium copia,“ ut ait Kilian, „minimus vero numerus re vera efficacium et hanc ob rem commendandorum.“ „Quodque eorum a multis saepe laudatum est, et tamen, ut ait Scanzoni, qui aliquo eorum utitur, persaepe omnia haec vana atque irrita esse concedere cogitur.“

Priore tempore adhibitorum obsoletorumque medicamentorum dum mentionem non facimus, commemorare modo volumus, Secale cornutum, Boracem, Tinct. cannabis indicae, Tinct. cinnamomi, Opium, Camphoram, Liquorem ammonii succinati.

Primum locum remediorum dolores augentium capit maxime celebratum et longissimum per tempus adhibitum Secale cornutum. De nullo profecto materiae medicae medicamento plura scripta nec cum ullo plura experimenta facta sunt, et tamen de eius effectu et usu valde diversae sunt opiniones. Totidem fere sunt strenui adversarii ac fortes laudatores Multi, qui observarunt, effectus medicamenti omnino non vidisse se affirmant, idque idcirco nihili aestimant, inter quos adduco Ed. a. Siebold, Osiander iuniorem, d'Outrepont et Hogeweg, qui ultimus permulta experimenta in clinico obstetricio Berolinensi fecit et quocum Langerhans, Muenich, Wegschneider consentiunt.

Plurimi autem hac in re consentiunt, Secale cornutum, praesertim per longius tempus ante partum adhibitum, magno detrimento esse infantis vitae. Scanzoni dicit, foetum, si duabus horis post Secale inditum femina nondum pepererit, tum mortuum ad lucem proferri solere.

Hoc accedit, ut hoc medicamento fastidium saepe provocetur vomitusque, quae omnia etiam inter pariendum molestissima sunt: „Quum igitnr, ut ait Kilian, sit, quod experientia multa edocti timeamus, ne Secale cornutum foetus vitae

damnum afferat, illud medicamentum repudiandum et Boracem, quem eximios effectus protulisse scimus,[1] anteferendum esse putamus.

Kilian Boracem magnopere laudat, multique praestantissimi medici artem obstetriciam professi, inter quos modo Busch, Wigand, Lobstein adducimus, eius sententiam comprobant. Multi vero medici obstetricii Boracis efficacitatem in dubium vocant, vel multo minorem effectum edere quam Secale dicunt. Etiamsi vim habet, semper tamen hoc medicamentum, ut omnes materiae medicae, saepe nos deseret et fallet. Omnia alia medicamenta: Camphora, aetheres, Tinct. cinnamomi, certo vim non maiorem habent, ut Scanzoni ait, quam calix vini boni. Opium, cannabis indica vim habent narcoticam sed non dolores augentem, torporem afferunt, sed dolores non firmant.

Praeter haec medicamenta intus efficacia vel inefficacia huc sunt addendae rationes, quibus uteri fibrae musculares incitatione magis mechanica afficiuntur. Quarum primum locum habet uteri iniectio, in artem obstetriciam imprimis auctore Kiwisch inducta, qua tum Scanzoni in doloribus ad partum minoribus usus est, cuique certe merito maximas laudes tribuit. Nullum aliud remedium cunctans alterum partus tempus, quod vocant stadium dilatationis, ita minuens partusque vias fetui transituro tam bene aperiens inveniatur. Sed huic rationi incommodum adhaeret, quod apud privatas parturientes non facile adhiberi potest, quod genitalibus membrisque extremis nudatis vel vestibus permadefectis facile refrigerationes possunt effici. Deinde haec ratio aqua calidiore adhibita, imprimis infantis capite obiacente atque uteri ore oblito, magnum infantis vitae periculum afferre potest. —

Ut illis iniectionibus, ita concitatione inferioris uteri partis Colpeuryntro similis apparet effectus. Quae methodus anteponenda est facilioris usus causa, sed plerumque non talem vim habet, ut iniectio; deinde vaginae nimis extensae maxi-

mos affert dolores, et a parturientibus, quae iam plures infantes pepererunt, et amplis genitalibus sunt constructae, excutitur. —

Huc addenda est oris uteri extensio, experimenta dilatationis digito suscipienda a Stein maiore commendata, quod vero experimentum cum periculo magnisque doloribus est coniunctum. Kilian in extremis tantum casibus et raro id adhibendum putat; Scanzoni nunquam eo utitur.—

Fundi uteri frictiones effectum durantem non habent, caeque ultimo tantum partus tempore, quo infantis ac placentae eiectio cessat, adhibendae sunt. —

Vi electrica in doloribus minoribus qui iam utatur, non invenietur.

Partus arte finitus ad remedia dolores compensantia referendus est.

Denique hoc loco diruptio velamentorum foetus arte effecta commemoranda est, quae ratio adhibeatur oportet, quum nimia extensione et hac re effecta uteri parietum extenuatione, nimio amnii liquore provocata, uteri contractionis vis impediatur. Quae quum ita sint, profecto optimum remedium dolores ad partum augens existimandum est. Sed et haec methodus in eo tantum partus tempore adhiberi potest, quum os uteri satis extensum, vesica ad diruptionem parata et caput iam in pelvis cavum longe sit prolatum. Vesica si prius dirumpitur et dolores semper fortiores sequentes si uteri os demum extendant necesse est: tum illo temporis momento, quo infantis eiectio fit, optima vis iam absumpta erit, et tunc cunctans et saepe infausta infantis eiectio eminet. Facile ad hanc rationem et parturientis precibus commota et nostro ipsorum partus celeriter finiendi desiderio ducti pellicimur. Sed uti omnino in arte obstetricia ratio est servanda, ut quisque quam maxime Fabius cunctator sit, et uti prodest Kiliani semper sententiam memoria tenere:

Da spatium tenuemque moram, male cuncta ministrat Impetus.

ita etiam nusquam maiorem calamitatem, quam incauta illa ac praepropera naturae actionis violatione efficimus. Praematura ovi velamentorum diruptio id quoque magnum periculum praebet, quod facile minores infantis partes et funiculus umbilicalis prolabi possunt, quod vehementioribus contractionibus illam actionem sequentibus facile praematura placentae solutio ac perniciosae haemorrhagiae effici possunt, quae, quum ob angustum uteri os arte partus finiri non possit, maxima matri ac fetui pericula afferunt.

Si igitur galactobdellarum dolores ad partum augentium effcetus, cum ceterorum remediorum ac rationum effectibus comparatos, paucis verbis complectimus, inveniemus:

1) Multis illis medicamentis internis, quorum effectus dubii et incerti, aut illis quorum effectus permanentes non sunt, qualia dilatationes uteri oris, uteri frictiones, novimus, hanc methodum longe anteferendam esse mihi videtur, quod efficax est, eiusque effectus sunt constantes.

2) Omnes illas rationes, quae immediata magis incitatione uterum impellunt, eo superat haec ratio, quod facilius, ac quin parturientem dolore afficiat, adhiberi potest.

3) Haec methodus in pluribus, quod ad partus tempora attinet, parturientibus adhiberi potest (Secale cornutum et vesicae diruptio extremo tantum partus tempore adhibenda sunt).

4) Hoc remedium pluribus hanc ob rem longe praeponendum est, quod nec matri nec infanti periculum ullum affert.

5) Sed non tam facile, quam ceterae rationes, iniectio et colpeurynter demoventur a galactobdellis, et libentissime concedo, illas methodos si firmiore ac celeriore effectu opus est, si, ut exemplum afferam, uteri ore non aperto Eclampsia oritur, nulla conditione adiecta anteferendas esse galactobdellis. Eiusmodi casus si non respicimus, certe prius adhibendae sunt, galactobdellae, imprimis facilioris usus causa. Arcam e laminis factam, qua Kiwisch utebatur, cum fistula decem

pedes longa coniunctam, comparemus cum galactobdellis fasciola alligatis. Quid est simplicius ac facilius? Parturiens non impeditur, quominus circumeat et decumbat, ut vult, quasi galactobdellis non adpositis. Quibus adhibitis etiam apud parturientes timor, partui maxime noxius, ne partus contra regulas atque vitiosus fiat, non movetur, (quod aliis methodis plerumque fit) si modo medicus feminae dicit, hoc fieri, ut infans facilius sugere possit.

Denique galactobdellae magnum etiam aliud commodum praebent, quod profecto plurimi aestimandum est, et quo ceterae rationes carent: mammae enim galactobdellis praeparantur atque instruuntur, ut gravi mox ab ipsis postulato lactationis muneri satisfaciant. Papillae enim mammillares illis mollissimae ac tenerrimae fiunt, papillae minus prominentes optime protrahuntur.

Quod Scanzoni galactobdellis ad partum praematurum provocandum usus timet, ne galactobdellis adpositis talis ad mammas congestio existat, ut ea inflammatio atque abscessus mammarum puerperio effici possit, quo timore etiam Kilian, de ratione ab Osiandro natu maiore laudata, qua papillae minores antlis protrahuntur, disserens captus erat: hoc periculum adesse potest, si galactobdellae ad ambos, quos commemoravi, fines adhibentur, ubi longissimo ac vehementissimo usu opus est, ergo si galactobdellae, quod ipse in clinico obstetricio Herbipolensi vidi, amplius centum horas adponuntur; sed brevi tempore inter pariendum adpositis, ille timor, ne noceant, ut puto, omittendus est. Iis parturientibus, quibus adposui galactobdellas, mammarum affectio non evenit.

Sicuti methodi ac remedia supra citata non solum ad augendos dolores ad partum, sed etiam multis in aliis casibus ad excitandas uteri contractiones adhibentur, sic quoque galactobdellae, quae commoda illic praebent, eadem hic afferent.

Colligamus igitur conditiones atque casus in quibus utilitate adhiberi possint, galactobdellae.

Adhibendae sunt:

I. Ad expellendum fetum, si dolores ad partum aut debiles sunt, aut frustra exspectantur, huiusque rei causa in atonia seu inertia seu lassitudine uteri posita, partus ceteroquin legitimus est, in omni partus periodo.

II. Ad partum praematuram arte efficiendum.

III. Ad placendam expellendam, si placenta omnino soluta, uterusinertia oppressus, funiculus umbilicalis ruptus est; vel si inertia uteri exstat et metrorrhagiae oriuntur, dum placenta ex parte tantum aut nihil soluta est.

IV. Ad corpora aliena ex utero expellenda, exempli gratia:
1) Foetu mortuo, diutius in utero morante.
2) Capite aut aliis membris abruptis et in uturo relictis.
3) Ad molam expellendam.

V. Ad diminuenda lochia, ob uteri debilitatem iusto capiosiora.

VI. Ad haemorrhagias sistendas, tum metrorrhagias inter partum, tum post partum, ex laxitate et atonia uteri profectas; tum etiam ad menses nimios cessandos.

VII. Ad tollendam amenorrhoeam aut dysmenorrhoeam ex uteri atonia aut debilitate exortam.

VIII. Ad evacuandam lactem infante mortuo, aut infante sugere nollente, vel non debente.

IX. Ad emolliendas papillas mammillares minoresque protrahendas.

Non adhibendae sunt:

I. In qualibet aegrota mammarum affectione.

II. In omnibus illis casibus, quibus omnino remedia dolores ad partum excitantia non adhibenda sunt. Exempli causa:
1) Si vires uteri, praegressis importunis ad partum doloribus, sunt exhaustae, ubi quies magis valet.

2) Si uteri laxitas ex universa corporis atque contentionis debilitate orta est, in qua methodus roborans et excitans adhibenda est.

Hunc libellum conclusurus Scanzoni venerandissimi dicta aptissime afferre posse arbitror, quibus in commentationibus, quas de arte obstetricia ac de feminarum morbis composuit, disputationem de abortu galactobdellis provocando concludit: „Iterum atque iterum facere non possum, quin me a vituperatione defendam, me rationem a me commendatam cum pristinarum damno plus aequo laudare voluisse. Hoc in libello componendo non eo consilio sum ductus, ut pro domo mea loquar, sed ut lectoribus benevolis persuadeam, me aliquod remedium commendare nolle, priusquam commoda eius atque incommoda religiose ac diligenter reputaverim et cum nobis oblatis comparaverim.“

Quod attinet ad me, vellem tantum ut plures observationes dare potuerim, et ut mihi occasio quoque oblata fuisset inquirendi, num in variis casibus, in quibus galactobdellae adhiberi posse dixi, (ut in metrorrhagiis, in copiosioribus lochiis ceterisque) hoc remedium probatum esset. Aegerrime fero, quod nunc hunc libellum imperfectum tradere cogor, et de illis rebus lectoribus exitus experimentis probatos proponere non possum. Experimenta prospere cessura esse, facere non possum, quin credam.

Huic libello Credéi dicta tanquam syngraphum addere volo, quibus orationem de Kephalotripsi in societatis, quae ad artem obstetriciam augendam Berolini est, disputationibus concludit:

„Quaevis nova et in chirurgia et in arte obstetricia inducenda ratio, hac modo re statum certum ac firmum consequi potest, ut quam saepissime ad effectum adducatur et ut ex effectibus, qui habentibus eam in usu apparent, iudicetur, quanti sit aestimanda et quae commoda, quaeque incommoda afferat. Quotcunque opera docte ac diligenter scripta, quorum

auctores sententias, iudicia consiliaque ex analogia tantum et theoria repetiverunt, aut experimentis singulis factis iam disciplinas satis et copiose et eleganter constitutas condituri sunt, parvi aestimari possunt.

Experientia sola arbitri partes suscipere potest, magna collectarum observationum copia rationi novae aestimandae sola par est, utrum probanda est an contemnenda.

Vita.

Guilelmus Henricus Kemperdick, catholicae additus confessioni, natus sum anno h. s. XXXI. die X. mensis Septembris, in vico Erkrath, qui situs est prope urbem Duesseldorf, patre **Antonio**, matre **Catharina** e gente **Frings**, quos ambos hucusque vivos pio gratoque animo veneror. — Primis litterarum elementis imbutus, tempore auctumnali h. s. XCII. Gymnasium adii Duesseldorpiensem. Hinc maturitatis testimonio munitus mense Octobri anno Cl. Bonnam me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. **Bauerband**, in civium academicorum numerum receptus sum. Initio per semestre theologorum ordini adscriptus eram; sed ut sicuti in animis curandis, sic etiam in sanandis corporibus essem peritus, simul studiis artis medicae inprimis Anatomiae operam dedi. Quum autem haec duo studia amplecti nimis grave mihi visum est, in secundo semestre ab Ill. **Naumann**, gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, in medicorum ordinem receptus sum, quod me, qui adhuc usque continuo studiis medicis gravisus sum, semper gaudebit.

Per hoc annum horum praeceptorum interfui scholis:

Ill. ill. **Naumann, Martin, Knoodt, Mayer, Weber, Schaaffhausen, Treviranus, Troschel, Noeggerath, Bischof.**

Absolutis duobus semestribus Herbipolin me contuli, ubi ab Ill. **Hoffmann** rectore magnifico inter cives academicos receptus sum. Ibi praeceptores mihi fuerunt: Ill. ill. **Osann, Virchow, Biermer, a Marcus, Koelliker, Mueller, a Textor** sen., **Rienecker, Scanzoni.**

Inde absolutis tribus semestribus Berolinum petii ibique ab Ill. **Enke** receptus, horum interfui scholis: Ill. ill. **Schoeller, Ebert, Ioh. Mueller.**

Semestre ibi peracto et examine philosophico superato Pragam profectus, ab ill. **Pitha**, rectore magnifico, rite et solemniter receptus horum praeceptorum scholas frequentavi: Ill. ill. **Streng**, **Halla**, **Arlt**, **Waller**, **Fischel**, **Guenther**, **Hasner**.

Hiberno semestri finito, postremo iterum Herbipolin me contuli, ibique ab Ill. **Edel** receptus, hi praeceptores mihi fuerunt: Ill. ill **Bamberger**, **Morawek**, **Virchow**, **Schmidt**.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, quam maximas possum gratias ago semperque habebo.

Theses.

1) *Eclampia non ex uraemia existit.*

2) *Cephalotripsis non adhibenda est, nisi praemissa perforatione.*

3) *Diagnosin „Morbus Brighti" perraro facere licet.*

4) *Sustentatio perinei fere nihil prodest.*

5) *In operatione strabismi semper ambo musculi contracti dissecandi sunt.*

6) *Vinum, caro et aqua optima sunt medicamenta.*